

A plus clamaret caput pro mēbris calcatis, q̄ pro se quia honorabatur. Nōne clamat ipsum caput, Nolo honorem tuum, calcare me noli. Iam tu dic si potes quare te calcaui, dic huic capiti, te osculari uolui, amplecti uolui. Sed non uides o stulte, quia quod uis amplecti per quandam compagem unitatis peruenit ad id quod calcas. Susum me honoras, iusum me calcas. Plus dolet quod calcas, q̄ gaudet quod honoras: quia quod honoras, dolet pro eis quos calcas. Quomodo clamat lingua. Dolet mihi: non dicit, dolet pedi meo, sed dolet mihi dicit. O lingua, quis te tetigit. quis percussit. quis stimulauit. quis pupugit. Nemo, sed coniuncta sum eis quae calcantur. Quomodo uis non doleam, quando non sum separata. Dominus ergo noster Iesus Christus ideo ascendit in caelum die quadragesima, commendauit corpus suum quae habebat iacere, quia uidit multos honoraturos se quia ascendit in caelum, & uidit quia honor ipsorum inutilis est, si conculcant membra ipsius in terra. Et ne quis erraret, & cum adorat caput in caelo, calcaret pedes in terra, dixit ubi essent membra ipsius. Ascensurus enim dixit uerba nouissima, post ipsa uerba non est locutus in terra. Ascensurum caput in caelum, commendauit membra in terra & discessit. Iam non inuenis loqui Christum in terra. Inuenis illum loqui, sed in caelo, & de ipso caelo. Quare. Quia membra calcabantur in terra: persecutori enim Saulo dixit desuper, Saule Saule quid me persequeris. Ascendi in caelum, sed adhuc in terra iaceo. Hic ad dexteram patris sedeo, ibi adhuc esurio, sitio, peregrinus sum. Quomodo ergo corpus commendauit in terra ascensurus: cum interrogarent illum discipuli, Domine, si hoc in tempore praesentaberis, & quando regnum Israel. Respondit iturus, Non est uestrum scire tempus quod pater posuit in sua potestate, sed accipietis uirtutem spiritus sancti superuenientem in uos, & eritis mihi testes. Videte quae diffundat corpus suum, uidete ubi se calcari non uult. Eritis mihi testes in Hierusalem, & totam Iudaeam, & Samariam, usque in totam terram. Ecce quae iaceo qui ascendo. Ascendo enim, quia caput sum. Iacet adhuc corpus meum. Quae iacet. Per totam terram. Caue ne percutias, caue ne uioles, caue ne calces: nouissima uerba Christi sunt ista ituri in caelum. Considerate languentem in lecto hominem in domo sua iacentem, & maceratum aegritudine, proximum morti, anhelantem, iam animam quodammodo inter dentes habentem, qui forte sollicitus de aliqua re chara sibi quam multum diligit, ueniat illi in mentem, & uocet haeredes suos & dicat, Rogo uos facite hoc. Teneat quodammodo uiolenter animam, ne ante exeat quam illa uerba firmantur. Cum illa uerba nouissima dictauerit, efflat animam, tollitur cadauer in sepulchrum. Haeredes ipsius quomodo meminerunt nouissima morientis. Quomodo si quis existat qui dicat eis, Nolite facere: quid ergo illi dicant. Ergo non facio quod mihi pater meus efflans animam nouissime mandauit, quod ultimum sonuit in aures meas proficiscente hinc patre meo. Quaeuis alia uerba ipsius aliter possum habere, nouissima uerba plus tenent. Non enim uidi amplius, non audiui loquentem. Fratres cogitate uisceribus Christianis, si haeredibus sunt tam dulcia, tam grata, tam magni ponderis uerba patris ituri in sepulchrum, haeredibus Christi qualia debent esse uerba nouissima, non redituri in sepulchrum, sed ascensuri in caelum. Namque ille qui uixit & mortuus est, rapitur ad alia loca anima ipsius, corpus ipsius ponitur in terra, an fiant illa uerba, an non fiant, non ad eum pertinet, tamen aliud agit, aliud patitur. Aut in sinu Abrae gaudet, aut in igne aeterno aquae modicum desiderans: in sepulchro autem ipsius iacet cadauer sine sensu, & custodiuntur uerba nouissima morientis. Quid sibi sperant illi qui uerba nouissima sedentis in caelo non custodiunt, uidente desuper an contemnatur, an non contemnatur: illius qui dixit, Saule Saule quid me persequeris. Qui seruat ad iudicium quod uidet pati membra sua, & quid nos fecimus, inquit. Nos sumus passi, persecutionem non fecimus. Vos fecistis o miseri primo, quia diuisistis ecclesiam. Maior est machera linguae quam ferri. Superba fuit ancilla Sarae Agar, & afflictata est a domina sua propter superbiam. Disciplina erat illa, non poena, ideo cum recessisset a domina sua, quid ei dixit angelus. Reuerte ad dominam tuam. Sic ergo carnalis anima tanquam ancilla superba, si forte aliquas molestias passa es propter disciplinam, quid insanis. Redi ad dominam tuam, tene

P dominicam

Gen. 16

Act. 9

Act. 1